



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles**

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

**Höger, Franz**

**Ingolstadij, 1726**

**VD18 90197089**

Dominica post Nativitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

lium loquitur de triplici genere hominum. I. Eorum, qui non cognoscunt Deum, neque illi serviunt, quales sunt Pagani, Tiberius, Pilatus, Lyfanius; hi indigent pœnitentiâ, ut de sua Infidelitate ad frugem redeant. II. Secundò: Eorum, qui cognoscunt, & tamen non serviunt, vel malè serviunt Deo, quales sunt Annas, & Caiphas; Hujusmodi indigent Pœnitentiâ, ut peccata sua deleant. III. Eorum, qui cognoscunt Deum, & bene ei serviunt, quales sunt Joannes, Zacharias; hi indigent pœnitentiâ, ut Innocentiam suam conservent. id. ibid.



## DOMINICA post NATIVITATEM.

THESIS I. *Serviens Die, ac No-* Deo omni  
*cte. Luc. 2. v. 37. Per Diem feli-* tempore  
 citas & prosperitas, per Noctem ad- *serviendâ.*  
 versitas & tribulatio intelligi potest,  
 atque exinde concludi, quòd illa ani-  
 ma non verè servit Deo, quæ non  
 omnitempore, & in quovis statu re-  
 rum Deo servit, sicut hæc Vidua, quæ  
 die

die ac nocte, hoc est in utroque tempore tam Conjugij, quàm Viduitatis, tam in prospera, quàm in adversa fortuna in servitio, & obsequio Divino constanter permanit. Bernard. Finetti in Reflexionib.

*Christus  
Signum.*

THESIS II. In Signum, cui contradicetur. Luc. 2. v. 34. I. Christus Signum est in sua Nativitate, in sua Passione, in sua Resurrectione. II. Cui contradicetur à mundo per sua axiomata contraria, & vitam Doctrinæ suæ oppositam. III. Atque hinc est, quòd Christus pluribus in Ruinam fit, veluti occasio, & per justam subtractionem suarum gratiarum.

*Devotio.*

THESIS. III. Non discedebat de templo. Luc. 2. v. 37. Non omnis Devotio vera Devotio est: Datur enim I. Hypocritica, quæ simulata est. II. Heteroclitica, quæ à communi regula recedit. Anomala, quæ singularitatem præ se fert. Qualis est illorum, qui pridie Festum ad sacram Synaxin, non ipso Festo accedunt, ne cum plebe id commune habeant; qui non stant ad lectionem Evangelij, nec genua flectunt ex more Ecclesiæ, &c.

THE.

THESIS IV. *Puer autem crescebat, & confortabatur.* Luc. 2, v. 40. *Parentes quid filii?*  
Parentes filiis præstare debent. I. *Virtutis Subsidium*, Patris cœlestis exemplo, animalium irrationalium studio, Naturæ suffragio. II. *Educationis Studium*, suadet dilectio paterna, societas humana, Providentia Divina. III. *Salutis Auxilium*, per Disciplinæ Christianæ instructionem, Exempli ædificationem, justam Correptionem. *Vivien. in Tertul. Prædic. verbo Justitiæ Lex.*

THESIS V. *Et hæc vidua.* Luc. *vidua.* 2, v. 37. A trina servitute liberatur Vidua. I. A studio viro placendi. II. Cura proli educandæ. III. Sollicitudine providendi domui necessaria. *Tertull. Prædic. Vivien p. 2. Conc. 3. verbo Castit. vidual.*

THESIS VI. *Et hæc vidua.* Luc. *Sterilitas.* 2, v. 37. Triplex sterilitas invenitur. I. Una *Naturæ* ex defectu proli. II. Alia *Fortunæ* ob defectum Bonorum. III. Alia *Gratiæ* ex defectu consolationum spiritualium. *Crasset in Confid. festo S. Annæ.*

THESIS VII. *Non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte*

*nocte ac die.* Luc. 2. v. 37. I. Devotio debet proficisci ex perfectione statûs interni. II. Devotio debet apparere in omnibus externis actionibus. III. Devotio debet se separare à creaturis.  
*Dictionar. Apost.*

*Vidua.* THESIS VIII. *Et hæc Vidua.* Luc. 2. v. 37. I. Vidua debet esse modesta in suo vestitu. II. Debet esse cauta in suis visitationibus. III. Debet esse tranquilla in suis Negotijs. *Dict. Apost.*

THESIS IX. *Et hæc vidua.* I. A Meditatione mortis Christi solatium quærat in morte Mariti sui. II. Consideratio mortis Mariti sui ipsam ad mortem suam disponat. III. Cogitatio de morte ipsam mundo mortuam ostendat. *ibid.*

*Imitatio.* THESIS X. *Puer autem crescebat.* Quatuor in Evangelio hodierno comparent Personæ. I. *JESUS* adhuc *Infans*; imitentur Christiani Christum Infantem, & crescant in sapientia, & virtute. II. *MARIA* *sexdecim annorum*; imitentur Virginem, in juventute sua conservando puritatem. III. *Jo-*

Joseph in virili etate; imitentur Josephum, vivendo pariter in perfecta Justitia. IV. Simeon senex; imitentur Simeonem perseverando usque in finem in laude Dei. Durand. in Charact. Sanctor. part. 2. hic.



# DOMINICA I. post EPIPHAN.

THESIS I. Dolentes querebamus *Quomodo*  
te. Luc. 2. v. 48. Notandum, tres *quar-*  
esse causas, quæ quærentes frustrare so- *antur?*  
lent. I. cum scilicet aut non in tempo-  
re quærent. II. Aut non, ubi oportet,  
quærent. III. Aut non, sicut oportet.  
S. Bern. Sermon. 75. in Cant. P. Wesp. in  
Moral. Evangelico.

THESIS II. JESUS annorum *Christus in*  
duodecim. Luc. 2. v. 42. Christus si- *nobis cre-*  
cut in illo ipso Homine, quem gessit, *scat.*  
ita in nostris mentibus quosdam gra-  
dus corporeæ ætatis exequitur: I. Na-  
scitur. II. Crescit. III. Roboratur.  
IV. Senescit: sed orandus, ne in nobis  
diu, aut jugiter Parvulus, aut infirmus,  
&